

putandis, sic in sermone vocabula rerum pro rebus ipsis usurpamus.

2° *Appellatio est applicatio unius termini super alium*, seu attributio unius termini ad rem significatam per alium; v. g. cum dico : *Deus est sanctus*, qualitas *sanctus* applicatur Deo, quasi modus ejus essendi. Terminus applicatus dicitur *appellans*, terminus autem cui fit applicatio, dicitur *applicatus*.

3° *Ampliatio est extensio termini a minore ad majorem significationem quam per verba ipsa significatur*; v. g. in hac propositione : *Mites possidebunt terram*, vox *possidebunt* quæ ex se non nisi futurum respicit, extenditur ad tempus præsens et præteritum.

4° *Restrictio econtra est coarctatio termini a latiori ad strictiorem significationem*; v. g. in hac propositione : *Eva fuit mater cunctorum viventium*, vox *viventium* quæ animalia ipsa amplectitur, restringitur ad solos homines. — Ex naturâ ipsâ rerum de quibus agitur patet an per restrictionem aut per ampliationem termini sint intelligendi.

5° *Demum alienatio est acceptio termini in sensu non proprio, sed metaphorico et figurato*; v. g. cum Apostoli a Christo dicuntur *lux mundi* et *sal terræ*, termini *lux* et *sal* alienantur a proprio sensu, et ad alium declinantur.

ARTICULUS III

De definitione.

Dicemus 1° de notione ac variis speciebus definitionis; 2° de legibus definitionis strictæ et essentialis; 3° de utilitate definitionis; 4° de regulis in illius usu servandis.

§ I. — De notione ac variis speciebus definitionis.

182. *Ejus notio.* — Definitio nomen habet a *finibus*. Ut enim agri, alii ab aliis finibus suis distinguuntur, sic definitione res aliæ ab aliis possunt secerni. Quippe declarat *quid res sit*, et *quid non sit*, ac proinde quomodo ab aliis rebus debeat distingui; hinc definitio in universum sumpta, *nihil est*

aliud nisi explicatio quæ respondetur interroganti quid aliquid sit.

183. *Ejus species.* — Vel quæritur quid sibi velit aliquod nomen, vel quid sit res aliquo nomine designata. Hinc definitio *nominalis* et definitio *realis*.

1° Definitionis *nominalis* triplex species distinguitur, videlicet *etymologica*, *communis* et *privata*. — 1. Definitio *etymologica* sensum vocis alicujus explicat ex ejus *origine* seu *radice*; v. g. : *Philosophia* dici potest *studium sapientiæ*, quia oritur ex vocabulis græcis *φιλοσοφία*, quæ amorem ac studium sapientiæ præ se ferunt.

Porrò quanquam etymologia magnam sæpe vim habet, non tamen semper absolutam, quia, ut advertit S. Thomas, aliud est quandoque *a quo* imponitur nomen, et aliud *ad quod* significandum imponitur. — Insuper, significatio vocum temporis tractu non rarò immutatur, receditque a primâ sua institutione; cujus modi sunt voces *sophista*, *centrum*, *linea*, *sexcentæ* id genus.

2. Definitio *communis* vocatur, si declaret sensum qui nomini cuidam usu et consuetudine hominum attribuitur : v. g., juxta communem sensum ex consuetudine receptum, anima definitur a S. Thomâ, « primum principium vitæ in his quæ apud nos vivunt : animata enim viventia dicimus, res verò inanimatas vitâ carentes. » (1^a q. 75, a. 1, c).

3. Contra definitio est *privata* cum quis propriâ auctoritate tali nomini talem significationem imponit; v. g., si dicas : animam humanam voco substantiam spirituales, corpori substantialiter unitam, nec tamen intrinsecus pendentem a corpore.

2° Definitio *realis* duplex distinguitur, *descriptiva* scilicet et *essentialis*. Prior (quâ poetæ et oratores præsertim utuntur) non strictè rei naturam explicat, sed fuso stylo attributa ejus accidentalia exponit, vel qualitibus potioribus secundarias permiscet. Sic Tullius hominem definit : « Animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii. » (*De leg.*, l. I, c. 7).

Porrò multiplici modo describi potest ens aliquod; inde

multiplex definitio descriptiva, nimirum *propria*, *accidentalis*, *causalis* et *genetica*.

Definitio *propria* indicat attributa quæ ab essentiâ rei *proximè* fluunt; v. g., si dicatur hominem esse ens sentiendi et ratiocinandi virtute præditum.

Definitio *accidentalis secundaria* rei attributa declarat, quæ licet in eâ esse vel abesse queant, tamen simul accepta ei soli conveniunt, et ducunt in aliqualem illius notitiam.

Definitio *causalis* ea est quâ res explicatur per principia *extrinseca*, sive per causam efficientem, sive per causam exemplarem, sive per causam finalem; v. g., si homo definiatur ens a Deo creatum, ad similitudinem Dei compositum, destinatum ad beatitudinem æternam.

Definitio *genetica* ostendit modum quo res *originem* suam accipit; qualis est hæc notio eclipsis lunæ: lucis defectus, quem patitur luna ex interpositione terræ inter ipsam et solem.

Definitione autem *essentia* ipsa rei natura brevi sermone declaratur; hoc sensu homo definiri solet animal rationale.

§ II. — De legibus definitionis strictæ et essentialis.

184. Tres præcipuæ numerantur definitionis essentialis leges; nempe debet genus proximum et differentiam specificam rei declarare, sermone brevi et claro.

1^o *Debet constare genere proximo et differentiâ specificâ.* Nam illius est totam rei naturam declarare, ac dicere quid sit et quid non sit, quid commune habeat cum rebus *propinquieribus*, et in quo ab illis specificè discrepet. Porrò genere proximo dicitur quid cum iis rebus habeat commune, et differentiâ specificâ quo modo ab iis essentialiter discrepet: in his autem duobus tota rei cujuslibet natura consistit. — Tunc adimpletur etiam ista conditio definitionis, quam logici exigere solent, scilicet ut conveniat *toti et soli definito*, sitque definito *æqualis* et *reciproca*; e. g. per vetus hæc hominis definitio: *Animal rationale* constat genere proximo et differentiâ specificâ; nam vox *animal*, genus proximum;

et vox *rationalis*, differentiam specificam exponit. Est quoque *reciproca*, seu definito æqualis; nam omnis homo est animal rationale, et omne animal rationale est homo. — Minus rectè homo vocaretur *substantia vivens et rationalis*; quia vox *vivens* non ostendit nisi genus remotum hominis, nec omnem ejus naturam includit, propterea quòd in conceptu viventis, animalis conceptus haud continetur (1).

2^o *Definitio debet esse brevis*, siquidem non nisi essentiam rei declarat, quæ paucas notas præferat.

3^o *Debet esse clara*, quin etiam re definitâ clarior, siquidem adhibetur ad ipsam illustriorem reddendam. Inde quatuor notatu digna sequuntur, nimirum: 1. Definiri non debet res aliqua, si per aliam manifestior effici nequeat. — 2. Res definienda ingredi non debet definitionem, sub eo respectu quo definitur; alioquin explicaretur idem per idem; v. g., si Logica definiretur ars quæ tradit regulas logicas. — 3. Vocabula quibus exprimitur definitio, *propria*, non *metaphorica* debent esse, quia metaphoræ non sunt nisi similitudines incompletæ (2), quæ detrahere aliquid possunt vel ab exactâ veritate, vel saltem a perspicuitate. — 4. Res, quantum fieri potest, per ejus negationem, aut verbis negantibus non debet definiri. Etenim definitionis potissimum est quid res sit explicare; at verba negantia minùs quid res sit, quàm quid non sit indicant; v. g., si homo definiretur aliquod ens quod non est brutum.

Dixi *quantum fieri potest*; nam quandoque alia via non suppetit, et cæteroquin ubi de aliquâ *privatione* vel de aliquo defectu agitur, verba negantia satis perspicuè rem

(1) Qui ergo definitionem essentialem conficere vult, sic procedat necesse est: 1^o inquiret diversa rei attributa, eam sub variis respectibus suis inspiciendo; 2^o accidentalia secernat a præcipuis; 3^o ex præcipuis, ea solum in definitione reponat quæ ad essentiam rei pertinent. Qui labor attentionem, reflexionem, imò aliquando certum ingenii acumen postulat.

(2) « Sicut non oportet disputare per metaphoras, ita nec in definitionibus assumere quæcumque metaphoricè dicuntur, quia metaphora accipitur secundum aliquid simile; quod autem est simile secundum unum, non est simile secundum omnia. » (S. Thomas, in II Poster., lect. 16).

innuunt : v. g., si surdus dicatur : is qui non audit; et anima : substantia partium expers.

§ III. — De utilitate definitionis.

185. Definitio maximè præstat, vel ad statum quæstionis ritè intelligendum, vel ad componendas lites, vel ad perspicuam rerum tradendam notionem.

1° Jure Tullius : « *Omnis* quæ ratione suscipitur de aliquâ re institutio, debet a definitione *proficisci*, ut intelligatur quid sit id de quo disputetur. » (*De Offic.*, l. I, n. 2).

2° Certum quoque est multas lites ex eo nasci et perseverare, quòd aut non satis quæstio definita sit, aut vocabulis iisdem diversus sensus attribuat; easque sæpiùs finiri, rebus et vocibus apertè declaratis.

3° Demum scientia omnis *finem* ex definitione habet; nam obtinetur scientia, cùm rei essentiam assequimur, quam exponit definitio, ut ait S. Thomas : « Tunc intellectus dicitur scire aliquod *quid est*, quando definit ipsum, « id est quando concipit aliquam formam de ipsâ re, quæ « per omnia ei respondet. » (*Qq. disp. de Verit.*, q. 2, de *scientiâ Dei*, a. 1, ad 9).

§ IV. — De modo utendi definitione.

186. Si agatur de definitione *nominali* : 1° definiri non debent voces claræ, sed tantùm obscuræ, incertæ aut æquivocæ, quarum varii sensus distinguuntur, et rejectis aliis, alius in præsentia eligitur.

2° Semel ac privata definitio ab aliquo allata est, in eodem sermone vel controversiâ ab eo debet servari. Quòd si fortè in alio sensu eandem rem deinceps accipere ipsi opus fuerit, priùs admoneat oportet.

3° Etsi licitè, imò utiliter, definitionem privatam aliquando proferre quis possit, non tamen faciat nisi cogente necessitate; quia consuetudini receptæ et usui standum est :

Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.

4° Quòd si duo contententes, de rebus, quamvis non de vocibus convenient, utile non est litem urgeri.

187. Quod spectat ad *definitionem realem* : 1° præponenda est essentialis descriptivæ definitioni; prior enim rei naturam et intima declarat; posterior autem magis superficie tenus consistit. At quia non rarò essentia rerum nos latet, utendum est descriptione, ut admonet D. Thomas : « Quia « formæ essentielles (rerum) non sunt nobis per se notæ, « oportet quòd manifestentur per aliqua accidentia, quæ « sunt signa illius formæ. » (*Poster.*, l. II, lect. 13).

2° Ea propriè definiri non debent quæ sunt simplicissima et unâ tantummodo notâ gaudent; definitio enim genus rei et differentiam assignat, nempe resolvit rem in omnia elementa quibus conflatur. Porrò res simplicissimæ non pluribus elementis constant, in quæ resolvi possint; hinc voces vulgò transcendentales, *ens*, *unum*, *verum*, *bonum*, et alia hujusmodi, v. g., *possibile*, *impossibile*, *identitas*, *distinctio*, non suscipiunt propriè dictam definitionem; licèt possint, quatenus opus est, descriptione quadam explanari.

3° Possibile non est omnia definire. Enimvero quidquid definitur, per aliquid notius et clarius definitur. Ergo si omnia definienda sint, aliæ notiones per alias, et rursus istæ per alias erunt definiendæ, et sic in infinitum, quod repugnat. Ac proinde, quemadmodum si omnia demonstrari deberent, nihil posset demonstrari, ita si omnia definiri deberent, nihil jam definiri posset. Ergo sunt quædam omnino clara, quæ non definiuntur, et ipsa causa sunt cur cætera definiri queant.

ARTICULUS IV

De divisione.

Tria dicenda sunt circa divisionem : 1° ejus notio ac diversæ species; 2° ejus leges; 3° ejus utilitas.

§ I. — De divisionis notione ac variis speciebus.

188. *Ejus notio.* — Divisio universim spectata definitur *quædam resolutio ac distributio totius in suas partes*; v. g., homo dividitur, si dicatur eum ex duplici parte, animâ scilicet et corpore, constitui. Partes in quas totum resolvitur sunt *membra divisionis*.

189. *Ejus species.* — Duplex distinguitur divisio, alia *nominis*, alia *rei*. 1° Divisio *nominalis*, quæ rectiùs *distinctio* appellari solet, ea est quâ plures ac diversi sensus ejusdem vocis notantur ac separantur. Exemplo sit vox *esse*, quæ tria diversa significat, nempe tum *essentiam*, tum *existentiam* alicujus rei, tum *convenientiam* inter subjectum et attributum alicujus propositionis.

2° Divisio *realis* ea est quâ totum aliquod, vel res aliqua in suas partes distribuitur. Itaque totuplex erit divisionis species, quotuplex species totius et partium. Porrò totum dicitur id quod pluribus partibus constat et in plura resolvi potest; ac proinde ex naturâ partium divisio totius desumenda videtur. Jam vel partes *actu* sunt in toto, vel non; si prius, *actuale*, si posterius, *potentiale* totum habetur.

1. Sed totum *actuale* dividitur in *logicum*, *metaphysicum*, *physicum* et *morale*. Vel enim partes, *ut partes*, in solo intellectu versantur, jamque totum etiam in solo intellectu versari et logicum appellari oportet: v. g., in Deo, etsi simplicissima sit ejus *essentia*, plura distingui solent attributa, videlicet *intelligentia*, *voluntas*, *potentia*, et alia porrò quæ non a parte rei, at potiùs *mentis* consideratione distinguuntur.

Vel partes, *ut partes*, extra intellectum in *re ipsâ* existunt, quin tamen *separari queant*, et obtinet totum *metaphysicum*; hoc sensu, homo animalitate et rationabilitate constat.

Vel partes sunt *actu distinctæ*, et *separabiles*, et habemus totum *physicum*; hæc ratione domus ex pluribus lapidibus coalescit. Jam totum illud in *essentiale* et in *integrale* dividitur, prout partes *essentiam* ejus constituunt, ut in homine

anima et corpus, vel *complement duntaxat*, ut in corpore humano pes et digiti.

Toti physico affine est totum *potestativum*, in quo inve-niuntur partes *virtutis*, nimirum *facultates* in uno eodemque principio radicatæ: eo sensu, anima divideretur in apprehensivam et appetitivam, in sensitivam et rationalem. — Advertas nihilominus *essentiam animæ* non ex potentiis suis, ceu ex partibus conflare; nam eæ sunt extra ejus *essentiam*, et ab eâ naturaliter pullulant.

Demum totum *morale* illud est quod constat ex partibus non separabilibus tantum, sed etiam *separatis*, quanquam arcto nexu colligatis et ad unum finem, rationis ope, conspirantibus; tales sunt familia, civitas, exercitus. — Si partes istæ materiales forent, adesset potiùs totum *accidentale*; cujusmodi est *acervus lapidum*.

2. Totum *potentiale* est *universale* quiddam plura sub se comprehendens; eo sensu, genus ad species refertur, et species ad individua, tanquam ad partes sibi subjectas. Cui affine est totum illud *accidentale* cujus partes vel sunt *accidentia subjecti*; ut homines in albos et nigros dividi possunt; vel *subjecta accidentis*: ut *scientia* quæ tum bonis, tum malis inest; vel *accidentis accidentia*: ut dulce, quod salubre est aut insalubre.

§ II. — De legibus divisionis.

190. Divisio tribus potissimum legibus subjacet.

1° *Debet esse adæquata*, nempe omnes totius partes numerare, alioquin totum non omnino divideretur et locus foret *sophismatibus*. Ut constet eam adæquatam esse, partes cum toto et totum cum partibus convertantur necesse est. — Cavendum tamen ne divisio sit *nimia*, dum instituitur completa, secundum notissimum illud Senecæ: « *Comprehendere quemadmodum maxima, ita minima, difficile est. Idem vitii habet nimia quod nulla divisio. Simile confuso est, quidquid usque in pulverem sectum est.* » (*Epist.* 89, ad Lucilium).

2° *Debet esse membris opposita*, quia in tantum ea jure separantur, in quantum se excludunt; v. g. haud rectè dices : Orbis dividitur in Europam, Asiam, Africam, Americam, Oceaniam et Galliam, quum Gallia sit pars Europæ.

3° *Debet esse ordinata*; scilicet primò partes totius universaliores declarandæ sunt, et ipsæ iterum dispescendæ in alias quas sub se habent, donec ad species infimas perveniantur. Exemplum hujusmodi divisionis et subdivisionis habes eam quam attulimus suprâ (n. 175) generum ac specierum partitionem atque ordinationem, juxta tabulam Porphyrii. Ratio illius regulæ est quòd ordini logico favet, ducto ab universalioribus initio, et præterea cuique rei suum, qui deceat, locum præfinit.

§ III. — De utilitate divisionis.

191. 1° Divisio necessaria est ad instituendam sinceram *analysim rerum*; omnis res in naturâ existens complexam seu compositam sese exhibet; quare secernantur oportet, ante omnia, variæ illius partes, aut saltem varii aspectus quibus sigillatim studendum erit. Hoc autem præstat divisio.

2° Necessaria est ad statuendum *ordinem* cum in rebus, tum in cognitionibus; eas enim primò ab invicem separat, et deinde suum cuique in toto locum assignat. Unde in scientiis præsertim *naturalibus* munus ingens exercent certæ rerum in classes (1) varias distributiones.

3° Demum *æquivocæ* propositiones, quæ in hominum sermone ac scriptis innumeræ sunt, solvi non valent nisi ope *distinctionis*, quæ varios earum sensus diligenter secernit, ut quis verus sit, quis falsus pateat (2).

(1) Classificatio consistit in quodam systemate divisionum successivarum, gradatim dispositarum. Porrò vel est *naturalis*, vel *artificialis*, prout assequitur divisiones ac subdivisiones naturæ ipsius, vel statuit aut fingit inter varia entia quasdam relationes seu analogias incompletas et partim arbitrarias. Licet zoologus vel botanicus semper tendere debeat ad classificationem naturalem, tamen eam difficile assequitur, quia difficile ordinem naturæ apprehendit.

(2) Socrates fertur dixisse : « Si nactus fuero ducem qui rectè partiri sciat, ejus ego vestigia, ut Dei cujusdam, sequar. »

Concludendum est igitur scientias *perfici* quidem ratiocinio seu probatione, sed habere *fundamentum* in definitione ac divisione.

CAPUT II

DE JUDICIO

192. Judicium, ut idea, spectari potest vel intra, vel extra mentem, quatenus verbis enunciatur : si prius, *judicii* nomen retinet; si posterius, *propositio* nuncupatur. Dicendum est igitur singulatim de judicio et de propositione.

ARTICULUS I

De judicio, prout intra mentem sumitur.

Præstat dicere 1° de judicii naturâ et elementis; 2° de variis ejus speciebus.

§ I. — De judicii naturâ.

193. Judicium definitur : *Actus intellectûs de duarum idearum convenientiâ vel repugnantia pronuntiantis* (1).

Dicitur 1° *actus intellectûs*, non autem voluntatis; siquidem agitur de veritate, quæ ad intellectum refertur.

Dicitur 2° *actus intellectûs pronuntiantis*; hinc differt a

(1) Judicii nomen est metaphoricum et desumitur ex sententiâ a JUDGE, in rebus quæ ad justitiam spectant, prolatâ. Hinc D. Thomas : « Dicendum quòd nomen judicii, quod secundum primam impositionem, significat rectam determinationem justorum, ampliatum est ad significandum rectam determinationem in quibuscumque rebus, tam in speculativis, quàm in practicis. » (2^a 2^e, q. 60, a. 1, ad 1).